

la, quid inde? forsitan Deus haberet manus suæ omnipotentiaë ligatas, vt perfectiora facere non possit ac illa, quæ fecit? immo ex eo quod Angelus creare non possit, arguitur, quod creatura imperfectissima sit, quia perfectius est agere independenter a subiecto, quam dependenter ab illo. Vnde ego vellem ab aduersarijs rationem concludentem, quare talis creatura a Deo creabilis non sit.

46 Ad confirmationem dico, quod Diuus Augustinus loco citato nihil de hoc dicit, sed solum ait, quod serpentes in deserto non fuerunt creati per magos illos, sed demoniaca virtute formati fuere, applicando videlicet actiua passiujs: vnde, vt ait S. Augustinus, sicut homo qui plantat non creat segetem, nec Iacob applicans virgas in riujs, ex quibus biberunt oues, creauit colorem fœtus, non sequitur tamen ex hoc, quod si illi demones, aut illi incantatores arte demonũ non creauerunt serpentes illos, sicut nec Iacob colores, quod Deus non possit sua virtute infinita aliquam creaturam creare, cui hanc virtutem creatiua, & illi connaturalem conferat; Non nẽ est verum, quod aggregatio ex lumine gloriæ, & creato intellectu est connaturalis visio beata, alias solo lumini, & solo intellectui creato supernaturalis? quare ergo Deus non poterit creare creaturam, quæ habeat tantam perfectionem, quantum habet illud aggregatum? hoc secundum defenditur vt probabile a multis Theologis in materia de visione beata; & illud primum etiam hic defendi potest probabiliter, sicut de facto a multis defenditur, videlicet quod virtus creatiua competere possit per Dei potentiam absolutam alicui creaturæ a Deo creabili.

47 Obijcies 3. ex P. Thoma Comptono 4. physic. sect. 7. n. 1. & 2. non potest aliqua actio habere perfectiorem modum existendi, ac habeat principium adequatum illius; at dato quod creatura aliqua creare possit, vtique hoc sequeretur; ergo &c. probat sequelam Author ex eo quod creatio peteret ex natura sua esse independenter a subiecto; at principium adequatum petit esse cum aliqua dependentia a subiecto, quia substantia vt connaturaliter operetur debet esse subsistens, cum actiones sint suppositorum; item deberet habere vbiocationem, & durationem aliquam; at hæc omnia supponunt educationem de subiecto; ergo generationem supponunt; itaque actio illorum creatiua esse non potest.

Respondeo huic obiectioni, quæ ab Authore validissima